



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Moralis

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

IV. De habitu, & subjecto fidei Catholicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38935

tio quam veram existimas. *Deinde*, etsi talis sit, supposito ordine rerum divinitus instituto, potest Deus talem ordinem immutare: adeoque impedire ne ex tali combinatione causarum, sequatur talis effectus aliàs necessarius; ut si impediatur ne stупpa ab igne comburatur. *Tandem* esto detur, cognitionem naturalem esse infallibilem, adhuc debemus concipere fidem infusam esse infallibiliorem; cum magis repugnet, quod prima veritas fallat, aut fallatur, quàm quod lumen naturale erret. Unde merito August. 7. *Confess.* 7. agebat, se faciliùs dubitaturum, an ipse viveret, quàm an vera sint, quæ fide divina creduntur.

Dices 2. Ille assensus est magis certus, qui magis expellit dubitationem: atqui assensus naturaliter evidens magis expellit dubitationem, quàm assensus fidei, ut satis vel ipsa experientia ostendit, ergo, &c. *Respondeo*, assensum illum esse magis certum, qui juxta prudentem existimationem, magis dubitationem expellit at hoc modo fides infusa magis expellit dubitationem, quàm scientia, propter antedictas; esto ratione inevidentiæ objecti, & propter rationes naturales oppositas, indeliberatos dubitationum motus interdum patiatur.

CAPUT IV.

De habitu, & subjecto fidei Catholica.

RESOLUTIO I. *Datur habitus quidam fidei infusa, in intellectu proximè receptus, quique propriè rationem virtutis intellectualis habet.*] PRIMA PARS PROBATUR, tum ex aliàs dictis, ubi de gratia habituali, tum quia omnium consensu, dantur tres Virtutes Theologicæ, nimirum Fides, Spes, Caritas, tum quia cum homo eliciat varios actus fidei infusæ, consentaneè ad naturas rerum, debet illi infundi habitus fidei, per quem ejusmodi actus eliciat.

Secundapars ostenditur, quia in ea potentia est habitus operativus, à qua fluit illius operatio, atqui actus fidei est operatio ab intellectu procedens, & in

eo recepta, cum per illum homo assentiatur rebus revelatis; ergo & habitus fidei ibidem constitutus est. Iste tamen habitus alium in voluntate necessario adjunctum habet, ut infra dicitur.

Tertia pars ostenditur, quia ille habitus propriè est virtus intellectualis, qui non inclinatur intellectum, nisi in bonum suum, quod est verum, sicut ille habitus est virtus moralis, qui voluntatem necessario inclinatur in bonum honestum: atqui habitus fidei non inclinatur intellectum, nisi in verum, cum eum non inclinatur nisi ad assentiendum revelatis, ut à Deo revelata, quæ ut sic necessario sunt vera: quare ejusmodi habitus inter virtutes intellectuales propriè reponi debet.

Dices 1. Vera virtus est dispositio perfecti ad optimum, id est, quæ disponit potentiam ad attingendum suum objectum, modo perfectissimo; atqui habitus fidei non est talis dispositio, cum intellectum inclinatur ad assensum obscurum, non ad evidentem, qui melior est. *Respondet*, eam virtutis definitionem gratis confictam esse; quia si ad rationem virtutis opus esset, ut potentia ferretur in suum objectum, modo perfectissimo, spes Theologica non esset virtus, cum ea non feratur in Deum, ad eum perfectè ac charitas. Nulla etiam in hoc statu esset virtus intellectualis, cum omnes sint valde imperfectæ, respectu cognitionis Dei, quæ habetur in Patria. Sufficit ergo quod semper feratur in bonum potentia, in qua est, nunquam in malum, qua ratione fides est virtus, ut dictum est. *Accedit* quod si fiat comparatio inter cognitionem claram, quæ hic per lumen naturæ haberi potest, & cognitionem obscuram fidei infusæ, hæc simpliciter perfectior censeri debet, cum sit substantialiter supernaturalis, & longè majorem certitudinem habeat, ut supra ostensum est.

Dices 2. Non potest vera virtus esse sine charitate, at fides potest esse sine charitate, ut patet ex Apostolo
1o 1. Cor.

lo 1. Cor. 13. fuitque definitum in Concilio Trident. *sess. 6. can. 28.* ergo fides non est vera virtus. *Respondeo* virtutem posse considerari, vel secundum suam rationem essentialem & intrinsecam vel quatenus conducit ad vitam æternam, priori autem modo fidem ex sua ratione, & independentem à charitate esse veram virtutem, non autem posteriori, quia etsi habuerim fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, ut ait Paulus loco citato.

Contra, charitas communiter dicitur forma fidei, aliarumque virtutum, ergo nulla est vera virtus sine charitate, sicut non est verus homo, qui caret forma hominis. *Respondeo*, quamlibet virtutem habere suam formam & essentiam, quatenus in tali specie constituitur, quod habet per ordinem ad suum objectum, & non per charitatem, quæ est alterius rationis, & speciei. Charitas tamen dicitur forma aliarum virtutum, quatenus valorem quendam moralem iis confert, earumque actus perfectè bonos facit, illos referendo in Deum, qui est ultimus finis. Ex quo intellige, eandem esse realiter fidem informem, & formatam: mortuam, & vivam, siquidem istæ denominationes, sumuntur ab extrinseco, nempe à charitatis absentia, vel præsentia, per quam fides ipsa intrinsecè non immutatur.

RESOLUTIO II. *Ad credendum, præter habitum fidei, non requiritur lumen aliquod infusum, ab eo distinctum, aut species ordinis supernaturalis.*]PRIMA PARS PROBATUR, quia per fidem habitualem habet homo sufficientem potentiam, ad eliciendum actum fidei: quare aliud lumen est superfluum. *Confirmatur*, nam cum objectum fidei non debeat clare cognosci, non aliter per fidem illuminatur intellectus, quam quia vim accipit eliciendi assensum, circa objectum propositum; talis enim assensus est cognitio supernaturalis, & certa, adeoque illuminatio aliqua intellectus, etsi sub obscura. Ad hoc autem sufficit ipse habitus fidei.

Dices.
ACTUS

Dices, scientiæ naturales supponunt lumen natura; ergo similiter habitus fidei supponit lumen ali- quod supernaturale ab eo distinctum. *Respondeo* esse disparitatem, quia lumen naturale est ipsa potentia intellectiva, quæ præsupponi debet ad recipiendos habitus intellectuales, per quos operatur: at nullus est habitus infusus, in quo fides recipi possit, aut debeat tanquam in subjecto, sed ad hoc ipse intellectus sufficit.

Secunda pars ostenditur, nam quamvis præter habitum fidei, ponendæ sint aliqua species objectorum, ut patet ex eo quod in visione Dei omnes ponunt lumen habituale, distinctum à concursu objecti sup- plente vicem speciei: non tamen requiritur, quod species illæ sint supernaturales, & per se infusæ, licet habitus fidei supernaturalis sit. Hoc colligitur in pri- mis ex modo, quo in mysteriorum fidei notitiam, ducimur, nempe per analogiam rerum naturalium, adeoque per species ordinis naturalis. Deinde ex eo quod antequam actum, vel habitum fidei infusæ habeamus, adeoque priusquam nobis species aliqua supernaturales infusæ sint, possumus res fidei perfe- ctè apprehendere & de iis differere; quod cum non fiat sine speciebus, dicendum est eas esse acquisitas, & naturalis ordinis. *Confirmatur*, nam fidelis qui in hæ- resim labitur, amittit habitum infusum, & tamen adhuc potest res fidei apprehendere, eodem modo ac antea: at non per species infusas, quia si quæ es- sent, cum fide perirent, ergo per acquisitas & natu- rales.

Dices 1. Per species infusas res fidei clariùs appre- henduntur, quàm per acquisitas, ergo illæ requirun- tur ad fidem. *Respondeo* 1. antecedens verum esse tan- tum de speciebus propriis, & quidditativis, quales non sunt species inservientes fidei. 2. Eo gratis uni- versim concessio, negandam esse consequentiam, quia proprium fidei est, elevare & inclinare intelle- ctum ad firmiter assentiendum rebus revelatis, ut

fic, non autem efficere, ut illius objectum clariùs apprehendatur, quàm per species acquisitas apprehendi possit, cum illud non cognoscatur quidditative, aut per proprias species, sed per alienas.

Dices 2. Ut plurimum contingit, res fidei meliùs apprehendi, dum quis ad fidem convertitur, quàm alias: ergo signum est, novas, & supernaturales species ad eam concurrere. *Non etiam id sequitur*, quia illa melior apprehensio oriri potest ex eo quòd iuxta suavem Dei dispositionem, species naturales ita ordinantur, & cum intellectu concurrunt, ut ex iis oriatur clarior apprehensio, quàm si aliter essent disposita.

Dices 1. Actus fidei est supernaturalis, ergo ad illū requiruntur species supernaturales. *Non sequitur*, si-
ve quia species effective ad illum non concurrunt, sed tantum ad apprehensionem objecti, quæ merè naturalis est, si-ve quia per potentiam obedientialem ad eum elevantur.

RESOLUTIO III. *Præter habitum illum fidei in intellectu existentem, ponendus est alius habitus in voluntate, per quem intellectus moveatur ad assensum elicendum, qui quæ à vulgaribus virtutibus moralibus distinctus sit.* **PRIMA PARS PROBATUR:** nam cum fides versetur circa res obscuras, non potest intellectus ab ijs determinari, ad earum assensum, sed requiritur pia motio ex parte voluntatis, per quam inclinatur homo ad captivandum intellectum in obsequium fidei: quare sicut in ipso intellectu ponimus habitum fidei, ut connaturaliter & per principium proportionatum eliciat assensum fidei: ita congruum est, ut in voluntate ponatur habitus aliquis, per quem illa juvetur, & elevetur ad imperandum assensum fidei.

Ubi Notat. Habitum illum in voluntate residentem, esse virtutem propriè dictam: siquidem per illū voluntas inclinatur in actum, qui non potest non esse bonus & honestus, cum per illum imperetur

L

actus

actus fidei, quem intrinsecè honestum esse ex dictis manifestū est. Quod ita intellige, ut habitus ille voluntatis quo imperatur assensus fidei secundum se, sine ullo ordine ad finem aliquem extrinsecum, sit propriè virtus, eo quòd etiam secludendo omnem ejusmodi finem, per se honestum est; quòd hominem honorem Deo habeat, ut præcisè propter auctoritatem illius, rebus obscuris, & humanæ rationis vim longè excedentibus, firmissimum assensum præbeat.

Nota 2. Illud præter alia esse discrimen inter prædictos habitus, quòd qui in intellectu refidet & propriè fides appellatur, est virtus Theologica, eo quòd directè circa Deum versatur. Qui verò est in voluntate, cum Deum non respiciat, sed ipsum fidei actum quem imperat, inter virtutes morales censi debet.

Secunda pars ostenditur, nam ad specialem actum ponendus est specialis habitus; at qui actus ille voluntatis, quo imperatur assensus fidei, ob peculiarem illius honestatem, est specialis actus, nulli alteri virtuti competens, ergo, &c. Minor declaratur per inductionem: nam quòd ille non sit actus charitatis, patet, tum quia charitas fertur in Deum, propter se amandum; tum quia habitus ille sicut & ipsa fides, potest esse in homine, habitu gratiæ & charitatis destituito. Quòd etiam non sit actus obedientiæ strictè sumptæ, ex eo suadetur, quia per habitum obedientiæ homo inclinatur, ut præcepta divina seruet. Ac quòd neque sit Religionis actus, ea ratio ostendit, quia Religio movet ad cultum Deo exhibendum. Nec apparet ad quem alium habitum reduci possit. Quare est habitus specialis, qui vel studiositas, vel obedientia fidei vocari potest.

Nota 1. Plerumque authores agere de fide, tanquàm de uno habitu, quia etsi realiter duo sint, juxta antedicta, pro eodem sumuntur, propter moralem connexionem quam habent inter se, quatenus per actum
unius

minus imperatur actus alterius, & actus imperans sumit bonitatem objectivam ab actu imperato: cui tamen vice versa rationem libertatis, & meriti communicat; libertas enim & meritum formaliter spectant ad voluntatem, ad intellectum verò, non nisi per denominationem ab actu voluntatis.

Nota 2. In ipsa fide habituali, in intellectu residente, non esse distinguendos duos habitus, quorum alius sit speculativus, alius practicus: quia etsi fidelis eliciat alios assensus speculativos, ut cum credit, Deum esse Trinum in personis; alios practicos, ut dum credit, Deum esse summè diligendum: isti tamen actus possunt profuere ab eodem habitu, eò quòd utrumque elicimus ex eodem specie motivo, quia nempe Deus id revelavit.

Neque dicas, in scientiis acquisitis speculativum, & practicum distingui specie, *non enim est par ratio,* siquidem principia speculativa, & practica è quibus oriuntur conclusiones physicae, distinguuntur inter se; fides autem infusa innititur soli auctoritati divinae, sive speculativa, sive practica revelanti.

RESOLUTIO IV. *Habitus fidei non manet in beatis, aut damnatis manet tamen in animabus existentibus in purgatorio.* PRIMA PARS PROBATUR, quia etsi non repugnet, habitum fidei manere in beatis, ut supra ostensum est; non tamen videtur conveniens eorum statui, ut talem habitum, qui essentialiter est obscurus, retineant. Nam cum per lumen gloriae habeant claram cognitionem omnium mysteriorum supernaturalium, quae hic obscure per fidem percipiebant, eaque cognitio in aeternum duratura sit, hinc fit ut beati nunquam elicaturi sint actum aliquem fidei, circa ejusmodi mysteria; ac proinde superfluum sit in iis: per totam aeternitatem conservare ipsum fidei habitum. Idque non obscure indicat Paulus 1. Cor. 13. cum ait, quando venerit quod perfectum est evacuandum quod ex parte est, communiter enim per cognitionem ex parte,

intelligitur ipsa fides, quæ proinde ex illius mente, in statu beatitudinis non est permansura.

Dices 1. Habitus ad fidem spectans; quem supra diximus esse in voluntate, manet in beatis; ergo idē dicendum est de ipso habitu fidei, qui in intellectu residet. *Nonnulli* negant antecedens, quia habitus ille voluntatis destinatur ad imperandum assensum fidei, quare cū talis assensus nunquam futurus sit, frustra habitus imperans in voluntate conservaretur.

Verūm eo admissio, negatur consequentia: nam, præter actum efficacem, quo volūtas imperat assensum intellectus erga res fidei, est in ea quædam pia affectio inefficax; quæ parata est subjicere intellectū in obsequium fidei, si Deus id exigat; quare cū illa animi præparatio sit perseveranter in beatis, dicendum est habitum proportionatum ei respondere. Idem autem dici non potest de ipso habitu fidei, cū beati nullum de facto assensum obscurum habeant circa objecta fidei.

Dices 2. Beati etsi Deum clarè videant, non tamen futuram resurrectionem, & iudicium ultimum intuitivè cognoscunt, sed obscurè credunt propter auctoritatem Dei revelantis: hoc autem sufficit ut in iis ponatur habitus fidei, ergo, &c. *Respondeo*, cognitionem illam non esse fidem, quia etsi res credita in se obscura sit, beati tamen clarè cognoscunt, Deum esse qui revelat: cumque aliunde evidentè sciant, Deum non posse mentiri, hinc per evidentem consequentiam ponunt, rem revelatam esse veram; quæ cognitio non tam ad fidem, quàm ad scientiam spectat, ut *cap. 1.* observavimus.

Secunda pars suadetur, quia habitus operativi non conservantur nisi in iis, in quibus suos actus habere possunt: at qui habitus fidei infusæ non potest habere suum actum in damnatis, ergo talis habitus non conservatur in damnatis. Major patet quia cū habitus illi non sint nisi propter actus frustra conservarentur
in sub-

in subiecto incapaci operationis. Minor ostenditur, quia ad eliciendum actum fidei, necessaria est pia affectio voluntatis, ejusmodi actum imperantis, ob reverentiam Deo, ut primæ veritati debitam: at damnati cum erga Deum malè continuo affecti sint, talem affectum habere nequeunt, ergo neque actum fidei; ac proinde frustra in iis conservaretur habitus fidei.

Confirmatur, tum quia tantum abest ut damnati habeant affectum necessarium ad fidem, quin potius continuo versantur in affectu opposito: quare vel ea ratione privandi essent habitu fidei, si eum haberent, ut liquet ex viatoribus, qui fidem habitualement amittunt, quando eliciunt actus ipsi oppositos, ut postea dicitur. Tum quia fides relinquitur in viatoribus gratiam amittentibus, ut per illam se disponant ad poenitentiam, & remissionem peccatorum: ista autem in damnatis locum habere nequeunt, adeoque fatendum est, fidei habitum in iis non remanere.

Dices 1. Character remanet in damnatis, ergo & fides. Antecedens communiter admittitur, sequela patet, quia congruum est, ut fideles damnati distinguantur ab iis, qui fidem nunquam habuerunt. *Respondeo* dato antecedente, negandam esse consequentiam. Quia si character remanet, ille sufficiet ut fidelis qui baptizatus fuit, distinguatur ab infidelibus.

Dices 2. Dæmones credunt, & contremiscunt, *Jacobi 2.* Ergo habent habitum fidei, ut talem actum eliciant. *Respondeo*, in dæmonibus non esse fidem illam infusam & supernaturalem, de qua hic agimus, sed fidem quandam impropriam, in eo positam, quod mysteriis fidei assentiantur, coacti rationum vel signorum evidentia: qua ratione credunt Deum esse, & peccata vindicare, convicti propria suæ damnationis experientia.

Tertia pars ostenditur, nam anime existentes in pur-

gatorio, cum gratia & charitate prædita sint, elicibile actum supernaturalem amoris erga Deum: ergo eum etiam cognoscunt supernaturaliter, adeoque per fidem. Prior sequela patet, quia inter actum voluntatis, & intellectus debet esse proportio: posterior vero, quia animæ illæ nondum cognoscunt Deum clarè & intuitivè, nec dici potest, quòd aliqua cognitio supernaturalis, distincta à fide, ipsis infundatur; ergo habent veram fidem actualem, & consequenter habitum fidei retinent, ut modo magis connaturali operentur. *Confirmatur*, nam fides est fundamentum spei atque animæ illæ sperant beatitudinem, quam non habent; neque dici potest quòd eliciant actum spei, sine habitu; ergo habent & fidem, non modo actualem, sed etiam habitualem.

RESOLUTIO V. *Habitus fidei non manet in hæreticis, seu in iis qui alicui fidei articulo scienter dissentiunt.* PROBARI SOLET communiter contra Durandum, tum ex Paulo 1. ad Timoth. 1. ubi ait, Himenam, & Alexandrum circa fidem naufragasse, id est fidei iacturam fecisse, ut plerique interpretes explicant. Illi autem non errabant circa omnes fidei articulos, sed circa aliquos dumtaxat, nempe resurrectionem, & abrogationem legis: tum ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 15. ubi asseritur, ipsam fidem amitti per infidelitatem gratiam vero justificantem amitti, per quodlibet peccatum mortale; etsi fides non amittatur. Unde patet, sententiam oppositam non immeritò à recentioribus rejici, ut erroneam & temerariam. Tum quia si fides maneret in illis, qui scienter quibusdam fidei articulis dissentiunt, sequeretur eos adhuc esse Fideles, & ad corpus Ecclesiæ spectare: quod tamen falsum est, cum jam ab omnibus censeantur hæretici, & eatenus ab Ecclesia separati: absurdumque sit existimare Lutheranos, & Calvinistas, imò & Judæos, ac quoscunque Paganos, qui aliquos ex articulis nostræ fidei credunt, esse membra Ecclesiæ Catholicæ, & inter Fideles esse numerandos.

Dicitur.

Dices, istud non sequi, quia fides significat aliquid integrum, & omnibus suis partibus completum, ut sit idem fides simpliciter, ac fides Catholica, quæ nimirum hominem absolutè fidelem, & Catholicū constituat: quare cū Hæretici, aut Judæi talem fidē non habeant, sed aliquam illius partem dumtaxat, simpliciter infideles esse, fidemque amisisse, fideique naufragium fecisse dicuntur: *Verum* hoc gratis dicitur, nam vel integritas illa est de essentia fidei, vel non; si est de essentia fidei, ergo falsum est, verum fidei habitum manere in hæreticis: si verò non est de essentia fidei, ergo hæretici habent veram fidem, etsi non integram; adeoque simpliciter dici debent fidèles, & Catholici, & infideles tantum secundum quid.

Confirmatur, nam ex S. Thoma 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 4. Fides potest esse major accidentaliter, idque tam extensivè, quàm intensivè in uno Catholico, quàm in alio; quare quod hæreticus non credat omnia, quæ nos credimus, si id non facit, ut fides illius essentialiter à nostra distinguatur, neque etiam faciet ut illius fides non sit vera, & Catholica.

CAPUT V.

De necessitate fidei internæ, & confessionis illius externæ.

RESOLUTIO I. *Fides est medium omnibus hominibus ad salutem necessarium.* De hoc dubitari non potest, cū dicat Paulus *Hebr.* 11. Sine fide impossibile esse placere Deo. Et ex Concilio Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. vocatio ad fidē, sit exordium justificationis; & baptismus dicatur sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio. *Rationem congruentiam affert* S. Thomas 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 3. quia in omnibus naturis ordinatis, duo concurrunt ad perfectionem naturæ inferioris, unum quidem quod est secundum proprium motum, & aliud quod est secundum motum superioris naturæ;